

ANNO CRUM  
TIONES

medicæ

genum









23

107

C. B. D.  
De

# OFFICIO PRÆTORUM.

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Nobilis, Amplissimi & Consultissimi*

## DN. CASPARIS ZIEGLERI

Phil. & U. J. D. P. P. Curiaë Elector. Scabinatus

& Facultatis Juridicæ Assessoris,


h. t. DECANI,

*publicè respondebit*

## M. JOH. FRID. SCULTETUS.

H. L. Q. C.

Ad d. Novemb.



WITTENBERGÆ

Litteris MATTHÆI HENCKELII

ANNO M. DC. LXI.

101





OFFICIO  
PRAETORUM

DN. CASPARI  
RECTORI



Phil. & U. D. P. O. Professor  
in Facultate Juris  
a. d. DECAN.

M. JOH. FRID. SCHEITTELUS

H. L. O. C.

WITTEBERG

ANNO M. DC. LXXI

WITTEBERG

171







**D**lacuit sub tit. de OFFICIO PRÆTORUM, totam Jurisdictionis materiam sed breviter repetere. PRÆTORI DEFERTUR HÆC JURISDICTIONIO. Qui defert, Majestas est; qui habet, Magistratus. Utraque jura sancta sunt, & nunquã confundenda. neque enim in una persona vel concurrere ea, vel simul subsistere posse credimus. Edicta Prætorum sane non vi Jurisdictionis, sed speciali quadam indulgentia populi proposita sunt.

2. Ipsum Jurisdictionis vocabulum, quin à Jure dicendo sumtum sit, WESENBECIO dubium non habet. Alii enim *lege agere*, alii *jus dicere* debebant. unde potestas jus suum legitimè persequendi, *legis actio*, jus reddendi seu dicendi, *Jurisdictio* appellata est.

3. Est autem inter *jus dicere* & *Jurisditionem* in ll. Rom. perpetua differentia. quippe *Jus dicentis officium latissimum est*, & *jus dicere* ad criminales usq; causas se porrigit; *Jurisdict.* cura solis causis civilibus, neque tamen iis, quæ specialiter, lege, vel Scto, vel constitutione Principum tribuuntur, sed quæ nomine Magistratus veniunt, absolvitur.

4. Ac licet BERNH. SUTHOLT. *Jurisditionem* aliquam *extraordinariam*, vel *legalem*, vel *adventitiam* sic dictam in causis civilibus sc. quæ specialiter & nominatim competunt, planè adeo non improbet, statim tamen subdit, meminisse alios debere, abuti se hoc pacto Jurisdictionis vocabulo, aut saltem aliter uti, atque Romani usi sunt.

5. Quod itaque unam ex ll. non omnimodam Jurisdictionem agnoscimus, nec Genusejus, nec species alias probamus. Atque ut hæc docendi fortè gratia in

*l. I. C. h. t.*

*Nic. Bellon. lib. 1. supput. jur. cap. 9.*

*n. II. h. t.*

*l. X. de Offic. Procoss.*

*l. II. de O. J. §. 6.*

*Sigon. l. I. de Judic. c. 7.*

*l. I. D. de Jurisdic.*

*l. II. de O. J. §. 23.*

*l. I. de susp. tut. §. 4.*

*dissert. de Jdic. th. 127.*

*l. III. de Jurisdic.*





scholis Jctorum adhibeantur, in re tamen fundamentum non habent. Ita nusquam locorum ubi ex professo de hac materia tractatur, videas Imperium Merum comprehendendi sub Jurisdictionis vocabulo, id quod tamen fieri solet, ubi una Vox nunc Generis, nunc speciei vicem obtinet.

S. 1. J. de A-  
dopt.

Suth. th. 173.  
Hahn ad We-  
senb. n. III.

L. CCXV. de  
V. S.

Joach. Hoppe-  
rus de Vera Ju-  
rispr. lib. IIX.  
tit. 4.

Cornel. Mart.  
in proleg. Me-  
taph.

Cujac. in L. II.  
de O. J. §. 14.  
Svet. in Aug.  
c. XXXIII.  
Franc. Connan.  
lib. I. comment.  
c. ult. n. 4.

L. II. de O. J.  
§. 27.

6. Definitur Jurisdictio, quod sit *potestas de civilibus & privatis causis jus reddendi jure Magistratus competens.*

7. *Potestas est, non absoluta, sed restricta ad causas civiles, non ad ea, quæ Majestatem concernunt, aut reservata Principis sunt, aut ad causas criminales pertinent.*

8. Denique *jure Magistratus competens* i. e. Magistratus habent Jurisdictionem, quatenus Magistratus sunt, vocab. quat. non *specificativè*, sed *reduplicativè* accepto, ac si dicas, Magistratui inhæret Jurisdictio, ex hac ratione præcisa formali, quia est Magistratus, unde fit, ut non sit Magistratus, qui non habeat Jurisdictionem, neque Jurisdictio sit penes aliquem, quin is continuo etiam sit Magistratus.

9. Sequitur inde P. R. vel Impp. quamdiu Majestatem habuerunt, Jurisdictionem formaliter ita dictam non habuisse, i. e. non fuisse Magistratus. quod enim summum est, inferius esse non potest. Et quanquam de Augusto, Tiberio, Claudio, Nerone, Galba, Vespasiano & aliis alii memorent, jus ipsos dixisse, etiam pro tribunali, duo tamen, quum faciunt idem, idem non est, nec extraordinaria Impp. de causis non omnibus, sed quibusdam saltem *cognitio* sub Jurisdictionis vocabulo à nullo Scriptorum, quod alii demonstrant, commendatur.

10. In nemine verò juris dicendi potestas magis, quam in Prætoribus se exerit. Unde quicquid in Magistratu eximium habetur, ad hunc potissimum referendum est.

Post-



Postquam enim Coss. bello avocatis universum jus dicendi munus ad Prætorem translatum esset, hic simpliciter jus dicentis nomine veniebat, quum Ædiles curules, & Magistratus reliqui certis tantum & paucis de causis jus redderent.

11. Prætor est *Persona publica, quæ Jurisdictioni præest.* i.e. quæ habet functionem seu auctoritatem juris dicendi. Publica persona propter officium seu munus publicum quod habet. Jurisdictio verò ipsum formale est, magistratum Romanum constituens. *l. II. C. de Decurion.*

12. Nota est divisio Magistratuû in *Majores & minores.* Illi sunt, qui Imperium & potestatem habent, hi, qui nō habent. Porro alii sunt urbani, alii provinciales, alii municipales. Provinciales dicuntur, quod in provinciis obibant vicem eorum, qui Romæ jus dicebant, Magistratum. Ita qui in urbe Consul, in provincia proconsul, in urbe Prætor, in Provincia Proprætor, seu pro Præto habebatur. *l. XXXII. de Injur.*

13. In municipiis quoque imago quædam erat & umbra Reip. Rom. ut qualia, quotve Romæ essent munia ministeriaque, talia & totidem in coloniis passim municipiisque effingerentur, affirmante Lazio & aliis, quos legimus. *de Rep. Rom. l. III. c. 1.*

14. Et *Magistratus* quidem vocabulum urbanis & ordinariis Magistratibus primariò, reliquis provincialibus & municipalibus maximè secundariò competit. Neque enim, ut gloss. loquitur, vel vilissimus Magistratiunculus reperitur, quin habeat Jurisdictionem, ubi tamen distinguas licet inter *Jurisdictionem ipsam, & ejus actus*, qui varii esse possunt. *in leg. f. de officio ejus. in verbis, quæ verò jure Magistratus.*

15. *Ea igitur, quæ magis imperii sunt, quàm Jurisd.* *Magistratus municipalis facere non potest.* i.e. ea, quæ majoris sunt potestatis, quam ut cuilibet, etiam minimum jurisdictionis habenti competant. *L. XXVI. ad municip.*

16. Equidem imperii nomen amplissimum est, ac sunt quoque, qui mixto & mero imperio generalem im- *Sigon. lib. III. de antiqu. jur. provinc. c. 6. 7. & 14.*



*Vultejus Juris-*  
*pr. Rom. I. c. 12.*  
*Thom. Michae-*  
*el de Jurisdic.*  
*conclus. 72.*

*L. III. de Jdic.*  
*L. V. de offic. ej<sup>9</sup>*

*L. I. de offic. e-*  
*jus. §. ult.*  
*Cujac. observ.*  
*30.*

*Duaren. in L.*  
*V. h. t.*  
*L. unic. si quis*  
*jus dic.*

*Henric. Sverin.*  
*repet. lect. juris*  
*c. 6.*  
*Bachov. ad*  
*Treutl. h. t.*  
*th. 3.*

*Suth. th. 289.*

*Hahn. n. VII.*

perii definitionem præmittunt, quæ utrique communis sit; nos licet illud facile permittamus, neque tamen ista divi-  
sio Generis in species, sed æquivoci in sua æquivocata ha-  
benda est; non enim potest dari conceptus alicujus im-  
perii, in quo Merum Mixtumque imperium simul conve-  
niant.

17. *Mixtum Imperium est modica coercitio,*  
*cui est Jurisdictio inest.*

18. Et verò, quod permixtum est Jurisdictioni, ei-  
que tuendæ & exequendæ semper inservit, *mixtum* il-  
lud dicitur. Secus se res habet in Mero Imperio, quod ex-  
trinsecus accedit ad Jurisd. neque cum ejus natura quic-  
quam commune habere intelligitur.

19. Quousque tandem modica illa coercitio ex-  
tendenda sit, definiri semper non potest, sed boni Judicis  
officio committendum est, prout forma Jurisdictionis,  
& auctoritas judicantis aliam, aliamque disciplinam re-  
quirunt.

20. Præterea *Jurisd.* & *Mixtum Imperium* diffe-  
runt, & quidem nomine & re. Prætor enim dum jus  
dicit, eo ipso quo id facit, non statim jus suum exsequi-  
tur. Unde Dd. probant illam differentiam inter *Juris-*  
*isdictionem simplicem* & *Mixtum Imperium*. Illam simplici-  
ter *in jure reddendo*, hoc *in imperando* & *exequendo* con-  
sistere docent. Simplici autem illi Jurisdictioni reliquam  
inesse potentiam volunt, unde pro re nata explicare, de-  
fendere & munire se possit.

21. In sola Jurisd. quoties versatur Prætor, gemi-  
num modum adhibet, aut enim *uni decernit*, aut *inter duos*  
*constitutus est*. Ad priorem modum referunt *dationem bo-*  
*norum possessionis*, & *missionem in bonorum possessionem*, quam  
alii tamen modo ad Jurisd. modò ad mixtum Imperium  
reducunt.

22. Inter duos ubi Prætor se habet, iterum duplici  
modo procedit. Sunt enim illi vel *non-litigantes*, vel *liti-*  
*gantes*. Ad illos *actus voluntarie Jurisdictionis* spectant.  
Re-



Reliquis redditur jus vel ordinario modo i. e. dato judicio; seu iudice pedaneo, eique præscripta formula, vel extraordinario, i. e. sine iudice, & sine formula.

23. In L. III. de Jurisd. explicatur potius Jurisdic. quam definitur. Et videtur duobus istis exemplis Ulp. Sigon. L. III. de antiqu. jur. exhaustire universam Jurisd. naturam. Habet itaque secundum Jctum duas partes, unam decretum, e. gr. dationem bonorum possessionis, alteram iudicii dationem, quæ L. XII. de Judic. §. 1. semper est Jurisd. & ad mixtum Imper. nullo modo referri potest.

24. Hujus rei explicandæ causa placuit BERNH. SUTHOLTIO Boceri lectio, quam ex Longov. & hic ex quodam venerandæ antiquitatis volumine reperisse se ait: *Mixtum Imperium est, cui & Jurisd. inest: Quod in danda bonorum possessione consistit, Jurisdictio est: Etiam iudicis dandi licentia.* parte III. c. 2. n. 7.

25. Neque movere nos debet, quod potestas dandi iudicem pedaneum ad causas civiles quidem, sed quæ specialiter tribuuntur, referatur. Sunt enim illæ in duplici differentia, aliæ sunt puræ absolutè & simpliciter tales, aliæ mixtæ i. e. quæ majoribus Magistratibus ratione Jurisd., reliquis inferioribus non nisi speciali jure & nominatim conceduntur. Scipio Gent. l. 2. de Jurisd.

26. Denique Jurisd. tribus verbis absolvit Varro: DO, DICO, ADDICO. quorum alterutro ait utendum, quum quid lege peragitur. Unde Poëta quum diem nefastum dicere vellet eum, quo Prætorem jus fari i. e. dicere nefas esset, inquit: Macrob. I. Saturn. c. 16.

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,

Fastus erit, per quem lege licebit agi.

27. Diximus supra non posse satis definiri coërcitionem illam, quam Prætor in Mixto imperio usurpat. Varia enim sunt remedia Prætoria, quibus, Magistratus Scipio Gent. de Jurisdic. lib. I. 15.

tue-



*L. IX. ad L. Jul. pec. S. ult.* tuetur suam Jurisd. & exequitur, in quibus tria maxime excellunt, multa dictio, pignoris capio, & corporis retentio. &c.

28. His ita praesuppositis facile aestimare licet Jurisd. aliam esse *contentiosam*, aliam *voluntariam*, quam, si placet, ad *non-litigantes*, alteram ad *litigantes* referamus. Neque tamen hanc divisionem per divisionem, sed potius per subdivisionem explicandam existimat SUTHOLT, illius Jd. scil. ubi inter duos jus redditur.

*Paumeister. lib. I. de Jurisd. dict. 13. n. ult. L. LXXXIII. de V. O. S. 1. Obrecht. Sverin.*

29. Illorum vero rationes hic non valere putamus, qui tam generalem hanc divisionem faciunt, ut & judicia criminalia in se complectatur, quippe *semper negabit reus se consensisse*, & delicta publica ultra censuram Jurisd. majori animadversione mulctantur.

30. Esse autem aliam *Jurisd. civilem*, aliam *criminales*, qui credunt ex legibus Roman. eam divisionem probari, fidem implicitam habere videntur. Omnis Jurisd. civilis est, quod procul dubio expressis verbis posuisset Jctus, si & criminalis locum inveniret.

*Suth. th. 388.*

31. Quod deinde alii Jurisdictionem illam criminalem (quam cognitionem de criminibus vocamus) a mero Imperio iterum distinguunt, hocque in sola executione collocant, plane ferendum non est, quia haec sententia ex lictore Imperat. facit, qui nunc Merum Imperium solus non habet.

*L. V. de Jdict. L. XVI. eod.*

32. Denique nobilis distinctio est inter Jurisdictionem *propriam* & *mandatam*. Illa jure Magistratus competit, haec beneficio ejus, in quo Jdictio illa formaliter residet. Potest enim Magistratus vel ipse exercere suam Jurisd. vel per alium, cui eam committit exercendam tanquam vivo instrumento.

*C. t. t. de Offic. Vicar. Cassiod. lib. VI. Var.*

33. Qui vicem Principis gerunt non dicuntur mandatarii, *propria enim est Jurisd. qua datur a Principe*, nec iudices a Magistratu dati mandatarii sunt, a Principe dati recte ita dicuntur, qui & Jurisd. & mixtum Imperium habent, quod utrumque alias mandatur.

34. Man-



34. Mandatarius itaque & coercendi jus ha- *Scip. Gent. II.*  
bet, atque etiam pro tribunali sedet, non tamen *de Jurisd. c. 2.*  
in signibus Magistratus, neque licitoribus propriis &  
perpetuis uti potest.

35. *Finitur tandem & prorogatur quoq;* Jurisd. *L. II. de Ju-*  
prius fit vel mandatarii vel mandantis obitu, ubi ad *dic. §. 2.*  
superiorem redit. Prorogatur autem vel *de persona in*  
*personam*, quando partes litigantes se subjiciunt ju-  
risdictioni judicis non sui, vel *de causa in causam*, mo-  
dò sint ejusdem speciei. Requiritur simul proroganti-  
um consensus *expressus* vel *tacitus*. hic, ubi litem con-  
testati sunt, iste facta judicis aditione. hæc enim nisi  
accesit, pœnitentia adhuc locum habet.

36. Quæstionis, an præscribi possit Jurisdic- *L. II. ad L. Jul.*  
tioni, facilis responsio, si cogitaverimus non ex nostris *Majest.*  
moribus, sed Romanorum arbitrio leges civiles pen-  
dere. quomodo enim ista jura, quæ extra commerci-  
um & dominium erant, habile præscriptionis obje-  
ctum esse possunt? Et si vel maximè fuisset aliqua isti-  
us præscriptio, non nisi permisso & consensu superio-  
ris fieri potuisse verius est.

37. Pulchrè Cicero: *Omnia judicia aut distra-* *in orat. pro*  
*bendarum controversiarum, aut maleficiorum puniend-* *Cæcin.*  
*orum causa reperta sunt.* Facit ergò judicia alia *civilia*,  
alia *criminalia*, de quibus nunc sub titulo Meri Imperii  
aliquid agendum restat.

38. Merum Imperium qui habuerint olim ex *Liv. & alii.*  
statu Reip. Rom. discere licet. Fuit ille varius, & ferè  
circulum commisit, i. e. Reges, Coss. Populus, plebs, &  
denique iterum Reges Majestatem & cum illa merum  
Imp. habuerunt.

39. Extra ordinem & quoties tempus postu- *L. II. §. 23. de*  
labat P. R. vel Dictatorem, vel Consulem, Prætorem, *O. J.*  
vel etiam privatorum aliquem de crimine publico  
quærere jubebat, & cui demum inquisitio illa de cri-

B mi-



*L. II. §. 32. cod.* mine nominatim permittebatur, ille *quaestor parricidii, quaestio ipsa* tempore Ulpiani *Merum imperium* dici capit.

40. At dices, *successu temporis Provincia Praesidem & Praefectum Urbi cum officio & jure Magistratus accepisse Merum Imperium.*

Respondemus (1.) nondum id probatum. (2.) quando semel quid Lege, Scto, aut constitutione nominatim alicui conceditur sub nomine officii, non requiritur deinde in singulis vel causis, vel successoribus iteratam concessionem esse, sed tacite eam repetitam praesumi respectu semper ad primam concessionem habito. (3.) Majestas non praesumitur sua ipsa jura imminuere, sed augere potius, & sibi reservare.

*L. III. de Jurisd.*

41. *Merum Imperium est habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos.*

*Scipio Gent. III. de Jurisd. c. 2.*

42. Potestas gladii nihil aliud est, quam jus occidendi, & qualibet gravior coercitio. Per animadvertere denique, quod nunquam nisi in summo supplicio ponitur, & cognitio & pronuntiatio sententiae, imò & absolutio, & multa dictio ab Interpp. notatur.

*Longov. p. II. c. 1. Claper. concl. IV. n. 4. & seq.*

43. In facinorosos, non in bestias, quod postremum si quandoque fieri contingat, non ab Mero Imperio, sed ab alia ratione est. quippe



pe bestia, quibus nulla juris nobiscum notitia,  
Meri Imperii objectum non sunt.

44. Tres modos Imperii hujus admit- *Obrecht c.VII*  
tunt Dd. Vel enim mors naturalis, vel civilis *n. 2. & seqq.*  
aut naturali proxima irrogatur, Vel sunt pœ-  
næ leviores, quæ nec civitatem nec libertatem  
alicui adimunt.

45. Denique profitetur Sutholt se hanc *th. 406.*  
propositionem sustinere velle, quod Merum *L. I. de Offic.*  
Imperium nec jure *Digestorum*, nec *Coditio*, nec *ejus.*  
*Canonico*, nec *hodierna consuetudine* mandari pos-  
sit.

46. Acquirere olim Jurisd. nemo nisi Magi- *Scip. Gent. de*  
stratus poterat, qui libera adhuc Rep. in Comitibus, *Jurisd. II. c. 28.*  
occupatâ, ab ipso Principe creabatur. Merum Im-  
perium, quod summæ potestati soli competit, eo  
modo confertur, quo Majestas, quæ vel ex consensu  
populi venit, vel bello, vel aliis modis.

47. Hodie de Mero Mixtoque Imperio & *Hahn. n. II. ad*  
Jurisd. aliter loquendum & scribendum est. ad *Wesenb.*  
palatum seculi nostri. postquam enim Romani  
esse desimus i. e. postquam barbarè loquimur,  
modo Merum Imper. pro Jurisd. modo hanc  
pro illo accipimus.

48. Quamquam nisi fallor adhuc hodie *Suth. th. 412.*  
iisdem verbis & receptis olim definitionibus *Knich. de subl.*  
res nostras explicare non inconsultum esset. Ha- *terr. jur. c. 1.*  
beant Electores & Principes nostri Merum Im- *n. 231.*  
per, jure superioritatis & hæreditario, idque per  
infeu-



infeudationem, postquam jura Majestatis Statibus Imperii simul communicata sunt: Magistratui Jurisd. formaliter sic dictam relinquamus.

*Hahn ad Wes.  
de offic. ejus.  
n. IV.*

49. Si tamen dicas jure Magistratus hodie Jurisd. Merumq; Imper. competere; de illa concedo, de hoc non item. Nam quod quis jure Magistratus habet, id commune est omni Magistratui quâ tali. nemo autem concesserit omnibus Magistratibus esse gladii potestatem, i. e. Merum Imperium.

*Lampad. de  
Const. Imp. Ro-  
man. Germ. p.  
II. c. 3. th. 8.*

50. Nullâ ego ratione præsentem nostræ Reip. statum ex veteri æstimandum volo, quod idem esset, ac si quis veterem ex nostro in quo sumus, denuò colligeret. Nostri enim Germaniæ principes, nec Magistratus sunt, ut vel Prætor, Proconsul, Præses, Præfectus Prætorio, Præfectus urbi &c. sed proprio jure, proprio nomine & proprio titulo Regalia in suis provinciis exercent, quod de Romanorum Magistratu nemo sine magna Antiquitatis contradictione temerè affirmaverit.

*tit. I. lib. 2. F.*

51. *Legum Romanarum non est vilis auctoritas, sed non adeò vim suam extendunt, ut usum vincant aut mores.*





94 A 7380

ULB Halle

3

004 073 428




Jun 1399 VD 17

57








HOB  
DIS

Diso

Witte







B.I.G.

Farbkarte #13

Ab hōc  
barata-  
ratetur  
ac. Me-  
nt di-  
n-

23 107

C. B. D.  
De  
**OFFICIO  
PRÆTORUM.**

SUB PRÆSIDIO  
*VIRI Nobilis, Amplissimi & Consultissimi*  
**DN. CASPARIS ZIEGLERI**  
Phil. & U. J. D. P. P. Curiā Elector. Scabinatus  
& Facultatis Juridicæ Assessoris,  
h. t. DECANI,  
*publicè respondebit*  
**M. JOH. FRID. SCULTETUS.**

H. L. Q. C.  
Ad d. Novemb.

WITTENBERGÆ  
Litteris MATTHÆI HENCKELII  
ANNO M. DC. LXI.

101